



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 888. Usque Ad Annum 1000

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1761

VD18 90117921

§. 12. Benedicti VII. obitus. Joannes XIV. Joannes XV. Papæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66313)

Sæculum X.
A. C. 984.

§. XII.

Benedicti VII. obitus. Joannes XIV.
Joannes XV. Papæ.

Baro. an. 984
Papeb. cona.
p. 167.

Romæ Benedictus VII. obiit die decima Julii anno 984. Indictione XII. cum annis octo & menses sex sedisset, in Basilica S. Crucis in *Jerusalem* sepultus, Benedicto substitutus est Petrus, Episcopus Ticinensis, Ottonis II. Imperatoris Archicancellarius, qui Reverentiæ causa Petri nomen mutasse, & Joannes XIV. dici voluisse creditur. Sed non ultra menses octo S. Sedem tenuit; nam Franco ante annos decem Antipapa, accepto nomine Bonifacii VII. cum Benedicti VII. mortem didicisset, Romam rediit, suorumque factione potens Joannem XIV. in S. Angeli munitionem captum detruit, postea deponit, atque quatuor mensibus detentum fame perire, truculentus prædo, cogit.

Ita Bonifacius Papa salutatur, & S. Sedem mensibus undecim occupat, quibus exactis repentina morte extinguitur. (*)
Eum

(*) Hanc fuisse violentam, quæ sequuntur, vix dubium relinquunt. Ceterum Eminentissimus Cardinalis & Natalis Alexander, Bonifacium nefarium Antipapam non mensibus undecim, sed tantum quatuor tyrannice tenuisse Sedem,

Eum vero usque adeo oderant sui, ut Sæculum X.
 mortuum lanceis confoderint, nudatum A. C. 986.
 pedibus raptatum, & in foro ante cabal-
 lum (*) Constantini projectum, relique-
 rint. Ubi illuxit, quidam Clerici inde-
 core jacentem & fœde laceratum tollunt
 & sepeliunt. Eligitur deinde Joannes
 patria Romanus, Roberti filius, qui S. Se-
 dem tenuit mensibus quatuor, nunquam
 consecratus; quamobrem Pontificum
 Romanorum Catalogo non inseritur.
 Tandem in Joannis XIV. locum subro-
 gatus est Joannes XV. & ipse patria Ro-
 manus, Leonis Presbyteri filius, vige-
 sima quinta Aprilis anno nongentesimo
 octogesimo sexto consecratus, qui annis
 decem sedit.

MS. ep.
 Papebr.

§. XIII.

dem, quam secundo invaserat, affirmant. Au-
 diamus loquentem Cardinalem: *Unde parum
 consulunt Veritati, minusque Pietati, & S. R. E.
 Dignitati, qui hunc inter Romanos Pontifices
 referunt, annumerandum potius inter famosos
 latrones & potentissimos Grassatores atque Pa-
 tricæ Perditores, Syllas & Catilinas, horum-
 que similes, quos omnes superavit Sacrilegus
 iste turpissima nece duorum Pontificum.*

(*) Hic Cardinalis inserit Parenthesin: *Ita
 tempore illo antiquitatum Romanarum rudes
 equestrem statuam æneam Marci Aurelii Anto-
 nini Imperatoris, Constantini esse vulgo dice-
 bant.*